

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3924

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1282, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, donne à ferme à l'abbé et aux moines de Saint-Étienne de Caen, pour une rente annuelle de 170 tournois, des terres, des rentes et des redevances à percevoir aux paroisses de Dives[-sur-Mer], de Périers[-en-Auge], de Beuzeval, de Brucourt et de Villers[-sur-Mer].

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1837.

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 996, p. 256.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos religiosi viri abbati et conventui Sancti Stephani de Cadomo et eorum successoribus ad firmam perpetuam dedimus et concessimus, pro centum sexaginta et decem libris turonensium, nobis et heredibus nostris solvendis annuatim, tertia parte videlicet ad Pascha Domini, et duabus partibus ad festum beati Michaelis, in firma de Dyva et de Bosseval, scilicet in parrochiis de Dyva, de Piris, de Bueseval, de Brucourt, et de Villariis sexaginta unam acras, dimidiam virgatam et quatuordecim perticas terre ; triginta quatuor libras et tresdecim denarios annui redditus ; molendinum quod vocatur Heuguemolin cum molta sicca et serviciis, si que pertineant ad illud ; quatuor libras turonensium redditus, percipiendas in molendino de Droion ; furnum de Dyva cum banneriis ; medietatem molendini in parrochia de Greyngnes cum sicca molta et serviciis ; quadraginta septem summas et quatuor asqueta salis ; centum et viginti quatuor capones cum denariis, et panibus pertinentibus ad eos ; triginta quatuor anseres ; septem coulleios ; novies viginti et sex decim gallinas, cum panibus et denariis ad eas pertinentibus ; duo millia trecenta viginti ova, cum panibus et denariis pertinentibus ad ea ; unum par calcarium ; quatuor ferra ad equum, cum clavis ; sexdecim sextaria et dimidium boisselli frumenti ; tria modia et quinque sextaria avene ; aquaeiam quidelli Roberti dicti Gile de Dyva ; costumam batellorum apud Dyvam, quorum magistri sunt residentes in feodo nostro ; item motam de Dyva, precarias, corveias, homagia et releveia rusticorum, placita, servitia, expleta et simplicem justiciam eorumdem. Et, de dicta firma, ut dictum est, nobis et heredibus nostris solvenda dicti religiosi viginti libras turonensium redditus sui, siti in parrochia de Dyva in contraplegium obligarunt, nobis una cum supradictis ad firmam perpetuo traditis remansuras, si ipsos vel successores suos a contractu hujusmodi contingeret resilire. Premissa vero eisdem

religiosis et eorum successoribus, sicut dictum est, concessimus, salvo in aliis jure nostro et jure quolibet in omnibus [alieno, retento etiam] nobis spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, forisfactoris, jure patronatus, gardis, homagiis feodorum lorice integrorum et partitorum, et similiter francarum serjanteriarum, si de feodo quod eisdem religiosis tradidimus teneantur. Si autem occasione premissorum vel alicujus de premissis ad firmam traditis inter dictos religiosos et homines tenentes de dicto feodo aliquam contingat oriri querelam, volumus quod ad primas assisias vel placita nostra sine dilatione et essonio audiatur ac etiam terminetur. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini millesimo CC° octogesimo secundo, mense julio.